

CAPUT XVI.

Minus Principales & impudentiores jam
sequuntur *Scopi*, videlicet τὸ ποιῆσαι
ἀδολεσχίαν & *Arguere Solæcismi*.

Annotatio.

Ἀδολεσχία est ab ἄδος *satietas, tedium, fa-*
stidium, & λέχη, *garrulitas, loquacitas, nu-*
gatio, quod est ab Hebræo לשון *laschon, lin-*
gua inde est German. *lesen*.

Meta Nugationis est approbatio oratio-
nis ineptæ, continentis ejusdem verbi in-
utilem repetitionem, vi argumentationis
extorta. ut, si quis hanc ineptam oratio-
nem approbârit: *aliquis nasus est nasus si-*
mus, hac argumentatione coactus:

O. *simus est nasus simus:*

A. *nasus est simus:*

E. A. *nasus est nasus simus.*

Fit ergò ἀδολεσχία seu *nugatio*, quando
idem inutiliter repetitur. Ut in *Relatis* si
quis dicat: *fili pater*. Absolutè enim pa-
ter connotat filium, itaq; bis dicit filium,
semel *explicitè*, & iterum *implicitè*, in voce

O 4

parris,